Quaedam de morbis secundariis : dissertatio inauguralis ... / auctor Carol. Ferdinandus Scheele.

Contributors

Scheele, Karl Ferdinand.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1835.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vfvbjg3f

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

18

QUAEDAM

DE MORBIS SECUNDARIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. FERDINANDUS SCHEELE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

KOBERSTEIN, MED. ET CHIR. DR.
VENNEWITZ, MED. ET CHIR. DR.
BRUELL, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI OPTIMO

NEC MINUS

COGNATO SUO DILECTISSIMO

FERDINANDO GABRIEL

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Ut morbus exoriatur, tria momenta sunt necessaria: 1) organismum habere facultatem aegrotandi, 2) adesse influxus, qui facultatem aegrotandi ad morbum evidentem excitent, 3) talem rationem inter dispositionem ad morbum et potentiam morbificam existere, quae permittat, ut dispositio ad morbum in morbum ipsum transeat. Quivis morbus ex coniunctis his tribus momentis originem ducit, et si unum aut alterum eorum deest, nullo modo morbus oriri potest, quibus bene perspectis multa nobis perspicua fiunt, quae his neglectis explicare frustra studemus. (*Confer. Path. Fragment v. Dr. C. W. Stark. Weimar* 1824. pag. 116 etc.)

Saepissime observandi occasio nobis est, eandem potentiam morbificam in varia individua vim suam exercere, quin iidem morbi provocentur; immo videre licet individuum a

potentia nocente omnino non affectum esse, quum tamen dispositio ad morbum adfuerit. Bene haec res explicari potest, si ad illas tres conditiones, quibus morbus tantum exoriri potest, respicere volumus.

Omnia, quae unum aut alterum illorum momentorum adducere valent, causa morbi fieri possunt, et huc pertinent: aetas, genus, temperamentum, habitus, consuetudo, nutrimentum, vestitus, atmosphaerae constitutio, alia. Maximi vero momenti morbi jam praegressi esse videntur. Quomodo autem morbus morbum provocare possit, in sequentibus tractabo.

§. 2.

Primum necesse visum est, interroganti, num fieri possit, ut morbus efficiat morbum, respondere.

Si individuum morbo vexatur, ejus vitae status ita modificatur, ut nova et propria alias quascunque formae mutationes ineundi opportunitas exoriatur, et varia quidem adsunt, quae ut hoc fieri possit efficiant.

In individuo aegrotanti novus quidam processus vitalis inest, quo integritas normalis vitae actionis offenditur. Facultas organismi, se ipsum ad actiones impellendi minuta, atque hic alienis influxibus magis obedire coactus est. Nam summus energiae vitae gra-

dus in eadem omnium organorum aequabili actione ad assequendum unum finem, scilicet sui ipsius conservandi, conspicitur; morbis vero haec vitae unitas perturbata est; pars organorum necessarias ad conservandam vitae integritatem functiones non bene exercet, quo fit, ut organismi vires, quibus existentiam suam contendit, debilitentur, atque impetus rerum externarum, quamvis leves, novam in organismo disharmoniam efficere possint.

Accedit etiam, ut vis vitalis, processu morboso jam debilitata, dum se ipsa conservare studet, dividatur, quo major etiam debilitas existit; etenim novus vitae processus, quum, uti parasitus, in organismo se evolvit, vitae legibus, quae remotionem et devastationem ejus efficere student, coactus, reactionem organismi propriam provocat, atque interna lis processus normalis contra illum innormalem in organismo aegroto procreatur. Organismus vero, quo magis hac lite morbi avertendi occupatus est, eo minus abundat viribus, quae in rerum externarum inimicos impetus, qui eo facilius novum morbum excitare valeant, bene reagere possint.

Sed morbus non solum ea ex causa, quod vitae actionem a defensione quasi individualitatis contra externarum rerum impetus abstrahit, occasionem denuo aegrotandi offert, sed

ipsa etiam interna vitae normalis reactio in morbum jam existentem, novum aliorum morborum seminium praebere potest. Pugna illa vitae contra processum morbosum, quamquam per se vitae conservandae maxime conveniens, si aut nimis debilis aut fortis, aut omnino ad removendum morbum atque ad conservandam vitae integritatem non apta ratione decurrit, alium morbum producit. Inflammatio vulneris e. c. per se maxime est optata et ad curationem perquam necessaria; sed si gradus ejus rectum, sanationi vulneris respondentem modum transgreditur, si suppuratio nimia et maligna, si gangraena exoritur, tum inflammatione novum morbum provocatum esse nemo negabit. Magis hoc elucet, si ad secretiones, quas criticas vocant, respicimus.

Praeterea quisque processus morbosus cum aliis morbosis mutationibus, quae sympathicae vocantur, in individuo aegroto conjunctus est. Functio plurium organorum, cum organis, in quibus morbus locum habet, connexum sympathicum alentium, ita laeditur, ut revera quidem non aegrotent, sed haec functio laesa, ut facilius morbi secundarii exoriantur, permittit.

Quum tandem morbus est processus vitalis, qui non minus, quam normalis, leges certas sequitur, facultatem quoque habet, se mu-

tandi, vario modo metamorphoses conformandi, cum aliis vitae processibus se conjungendi atque his mutationibus et conjunctionibus novos morbos provocandi.

His, omissis aliis, quae postea adducam, demonstratum velim, fieri posse, ut morbus provocet morbum.

§. 3.

De utilitate, quam cognitio morborum secundariorum partim mediate partim immediate affert, nemo in dubio esse potest. Non solum ad diagnosin recte constituendam, ad prognosin vere pronunciandam; sed etiam ad therapiam apte instituendam maxime est necessaria, et saepissime curam prophylacticam sola nobis indicat, ita ut magnam in medendi rationem vim exerceat.

§. 4.

Quod ad diagnosin pertinet, animadvertenda sunt haec. Morbos secundarios cognoscere non possumus, nisi prius morbos, jam praegressos perscrutati sumus atque connexum causalem inter hos et illos invenimus. Hoc modo, ad quos morbos individuum maxime inclinet, quaenam organa saepissime jam aegrotaverint, qualis ad morbos dispositio maxime valeat, facilius dijudicare possumus. Quum porro morbus causa alius esse possit, atque ex causa morbi natura ejus perspi-

cienda sit, cognitio morborum praegressorum, ut morbum quendam facilius dignoscamus, valde nos adjuvat. Experientia nos docet, morbos esse, qui quum semel adfuerint, dispositionem, denuo iis aegrotandi, plane exstinguant; tum etiam, exsistere morbos, qui, ut ipsi facilius in individuo erumpere possint, efficiant. Ex his sequitur, cognitionem morborum, quibus individuum antea jam laboraverit, in ipso prodromorum stadio, quod in multis morbis idem est, si in illos respicimus, varios morbos, qui tamen exoriri possint, excludere, si in hos, medici attentionem exitare, perscrutandi, num idem morbus exoriatur, necne. Praeterea multi morbi certos morbos secundarios provocant; si igitur morbum antecedentem cognoverimus, etiam sequentem facilius dignoscere possumus. Accedit, ut multi sint morbi, quos, neglecta morborum antecedentium cognitione, dignoscere non facile possumus. Nonne parentum morbos, libris aegrotantibus, perscrutari maxime necessarium habemus? Sed, ut in eos inquiramus morbos, quibus ipsum individuum aegrotum laboraverit, quanto magis necesse erit! Solam phthisin pulmonalem in memoriam revocare opus est. Phthisis plane perfecta facillime dignoscitur; sed alia res est phthisi incipiente, quam ut certam habere possimus, in morbos parentum, fratrum respici-

mus, et hoc jam satis magni est momenti, sed multo majoris est, cognoscere ipsius aegrotantis individui morbos, quibus jam vexatum sit. Quare in hocce morbi casu etiam exploramus, num frequentes haemorrhagiae narium, affectiones pectoris, exanthemata etc. jam adfuerint.

§. 5.

Prognosis est filia diagnoseos; quae si certa est, multum nos ad illam vere pronunciandam adjuvat. Nam morbi nobis noti periculum, decursum et exitum praedicere, quod prognoseos est, non admodum difficile est. Sed medicus, ex diagnosi sola prognosin pronuncians, quoties alium decursum, alium morbi exitum animadvertit! Saepius morbum levem et sine ullo periculo existimat et subito morbus gravissimus, vitam devastans et mortem mox adducens, exortus est, quamquam spes vitae conservandae erat optima. Saepius pro dolor! hoc accidit, et medicus propter talem improvisum, malignum morbi exitum valde admiratus est. Quamquam non in omnibus talibus casibus, in plurimis tamen exploratio morborum jam praeteritorum decursum et exitum tam inopinatum explicabit, et, quo minus prognosin nimis temere statuamus, nos impediet, atque efficiet, ne nobis inauditum et invisum videatur, quod, si effe-

ctus morborum jam praegressorum bene observati essent, non mirum apparuisset.

Antea jam demonstravi, morbum vario modo dispositionem ad morbos augere, potentias nocentes in individuum morbo debilitatum majorem vim exercere. Si igitur individuum morbo jam vexatum aegrotat, vel propter debilitatem vel propter mutationes a morbo jam praeterlapso provocatas, decursus morbi alicujus alius esse potest, quem ignari morborum antecedentium explicare nequimus. Varii sunt morbi, qui eundem decursum, quem semel sequuti sunt, iterum iterumque, quotiescunque apparent, lubentissime faciunt, uti angina, cujus exitus fuit suppuratio, si denuo exoritur, fere semper suppuratione finitur. — Quo saepius organum morbis vexatum est, eo pejor fit prognosis, quam medicus prima hujus organi affectione fortasse optimam statuisset. — Alii morbi leves propter morbos jam praegressos magni aestimandi sunt. Sic catarrhus bonam prognosin permittit, in quem, si tuberculoseos signa jam aderant, medicus totam suam attentionem vertat, necesse est.

§. 6.

Maximam utilitatem cognitio morborum secundariorum eo nobis affert, quod tam benignam et salubrem in medendi rationem vim habet. Priusquam medicus curationem insti-

tuere potest, objectum curationis omnino perspicere debet. Diagnosis igitur primum consideratur. Non minus vero necesse est, ut decursus et mutationes, quas morbos inire potest, medico notae sint, ne remediis adhibitis mutationes infaustas adiuvet, aut fortasse utilissimas removeat, sive aliis verbis, prognosis nec falsa esse nec omnino deficere debet. Quum vero morborum secundariorum cognitio diagnosin et prognosin certiorem reddat, eo ipso etiam therapiae maximi commodi est. Sed aliae adsunt causae, quae utilitatem cognitionis morborum secundariorum multo majorem reddunt. Diagnosis et prognosis ad rectam medendi rationem solae non sufficiunt. Saepissime nobis iidem morbi casus in variis individuis occurrunt, quorum diagnosis et prognosis nobis statim notae sint, sed multum abest, ut omnes una et eadem ratione tractentur. Ne in uno et eodem individuo quidem iidem morbi eodem modo curantur. Semper causa morbi est respicienda atque secundum hanc methodus medendi modificanda. Morbi praegressi vero saepius sunt causae aliorum morborum. Quam necessaria igitur illorum cognitio. Morborum secundariorum cognitio non solum nos docet, morbos, nimis celeriter sanatos, provocare alios morbos, sed satis etiam demonstrat, morbum ex alio morbo

ortum, sub certis tantum conditionibus et quidem morbo jam praegresso, causam illius obtinente, semper respecto, curandum esse.

Magna igitur utilitas in hoc respectu e cognitione morborum secundariorum medico profluit. Maximam cautelam nobis observandam esse, ex ea scimus, si morbi curandi sunt, quibus nimis celeriter sublatis, alii et quidem multo graviores existunt. Medicus, morborum successionis peritus, ut varii morbi ipsi perdurent, curabit, quia bene scit, id si non faceret, alia mala mox existere, quae nobiliora organa aggrediantur. Hac ex causa exanthemata varia capitis minime vel certe maxima cum cautela removenda sunt, quia hydrocephalus aut ophthalmia facillime exoritur. Ad curandum ipsum morbum secundarium valde necesse est, scire, quo morbo ille sit exortus, nisi frustra vel adeo contra salutem aegroti agere velimus. Licet videre, morbum ab alio medico sine ulla utilitate diu tractari, qui ab alio mox removeatur, quia hic connexum causalem hujus morbi cum jam praegresso invenerit, et remediis, causae inventae respondentibus, usus fuerit. Si epilepsiam ex scabie celeriter suppressa exortam scimus, aliam medendi rationem adhibemus, quam si ex helminthiasi provenit. Multi sunt, qui vexentur ulceribus; remedia, quae in si-

milibus casibus fuerunt optima, quamquam satis longe et accurate adhibita, saepe nihil prosunt; aut si fortasse ulcus sanatur, vel aliis passionibus aegrotus afficitur, vel ulcus mox redit, quod ex exigua mea experientia satis cognovi. Sed eadem ulcera, cognita eorum indole et causa, quae morbus alius non bene tractatus saepissime erat, facile et quidem diuturne et bono cum eventu sanata sunt. In morbis chronicis praecipue ad morbos jam praegressos animum vertamus maxime necesse est. Licet afferre, quae Haase (*Ueber die Erkenntniſs und Kur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus von Dr. W. A. Haase. Leipzig* 1820. *Band* 1. *Seite* 49.) de causis morborum chronicorum in hoc respectu bene animadvertit. Dicit scilicet, ut verbis auctoris utar: »*Die vorausgegangenen* »*Krankheiten. Besonders acuter Art sind* »*vielleicht die am häufigsten vorkommenden* »*prädisponirenden Ursachen für chronische* »*Krankheitsformen; sie verstimmen häufig* »*die Reizbarkeit, und lassen oft, wie die* »*febris nervosa, Geneigtheit zu Krämpfen,* »*und wie die Encephalitis, Stupidität, Me-* »*lancholie, Manie etc. zurück. Sind jene* »*Krankheiten mit Abnormitäten der Säfte-* »*mischung oder der Organisation einzelner* »*Organe gepaart, wie die Entzündungszu-*

»*stände reproductiver Organe insbesondere,* »*der Drüsen oder drüsiger Gebilde, mit* »*Ansammlung, Stagnation der Säfte, mit* »*Anschwellungen und Verhärtungen, so ist* »*ihre Wirksamkeit desto gröſser und aus-* »*gezeichneter. Auf diese Art bildet sich* »*vielleicht die Mehrzahl aller chronischen* »*Krankheiten durch Mangel oder Unvollkom-* »*menheit der nothwendigen Krisen in acu-* »*ten Krankheitszuständen, durch unzulängliche* »*Ausgänge derselben aus.*« Exempla nonnulla, quae hanc sententiam certiorem reddunt, adducens pergit auctor: »*und gerade dies ätiologische* »*Moment, die Ergründung und Berücksichti-* »*gung vorausgegangener acuter Krankheits-* »*zustände ist es, welches im Allgemeinen zu* »*wenig von den Aerzten bei chronischen* »*Krankheiten berücksichtigt zu werden* »*scheint, und für die Diagnose sowohl, als* »*für die Therapie doch von so auſseror-* »*dentlicher Bedeutung ist, in so fern die* »*Idee, daſs die chronischen Krankheiten,* »*wenigstens zum gröſsten Theile, Folgen* »*und Ausgänge der hitzigen sind, eine für* »*die Praxis gewiſs sehr lichte und richtig* »*leitende ist.*«

Iniicitur etiam mentio morborum, qui, uti remedium optimum, alius morbi residua tollere et periculosos morbi progressus moderari pos-

int. Talis ratio inter morbos bene animad-
ertenda est, ut salubrem morbi novi influxum
ervemus, neque celeri curatione aegroto ma-
is noceamus, quam prosimus. Sed tantum
medicus, morborum successionis gnarus, in
ali morbi casu rectam viam ad sanationem
on relinquet, atque, non quemque morbum
ecundarium aegroto periculum afferre, per-
asum sibi habebit. Medicus etiam, cogni-
one morborum successione ductus, remediis
otis adhibitis, morbum secundarium ad ma-
imam utilitatem aegroti avertere potest; nam
um non fugit, quibus conditionibus exorian-
r morbi secundarii et, quali cura in usum
ocata, sequi non soleant.

§. 7.

Explorandum nunc erit, quibus rebus et
omodo a morbo morbi alius origo adducatur.

Jam in initio dissertationis meae dixi, (§. 1.)
a momenta esse necessaria, ut morbus exo-
ri possit, scilicet: dispositionem ad morbos,
tentiam morbificam et rationem inter hanc
illam, evolutioni morbi faustam. Haec mo-
enta uno nomine causa morbi, in amplis-
ma vocis notione, appellari possunt. Omnis
tur res, quae morbum efficere valet, aut
tentia morbifica est, aut rationem illam fau-
m provocat, aut omnia tria momenta simul

amplectitur. Morbus igitur alium morbum excitare tantum valet, vel quod dispositionem ad morbos auget, vel alia, quae modo nominavi, efficit.

§. 8.

De auctione dispositionis ad morbos per processum morborum copiosius in §. 2. tractavi, quam ut necessarium mihi videretur, plura de ea adhuc proferre. Sed morbus potentia morbifica etiam esse potest, et vario modo quidem revera fit. Quisque organismus duplici modo considerandus est: primum, quod ad materiam, tum quod ad dynamin, quae materiam vivam reddit, attinet; et quaevis potentia in organismum agens vel materiam vel vires huic additas proxime afficit. Materia ad varias telas, organa, systemata et ad varia illa penetrantia fluida conformata est, quae singula structura ac mixtione certa fruuntur. Materia igitur, quod ad structuram et ad mixtionem attinet, mutari potest. Ex his sequitur, ut morbus, uti potentia morbifica vel materiae structuram et mixtionem vel huic inhaerentem dynamin aggrediens, morbum excitare possit. Mutationes vero materiae et dynameos tam separatae non apparent, dynamis et materia inseparabiles sunt, illa sine hoc existere nequit et mutatio alius aliam etiam mutabit, attamen una vel altera mutatio praevalebit. Sunt

morbi, qui tantam debilitatem relinquant, ut vires vasorum exhalantium et resorbentium in disharmoniam incidant, unde hydrops exoriatur. Dynamis mutata igitur materiam mutatam producit. Per hydropem vero sanguinis mixtio mutatur, quae mutata mixtio in alia organa male reagit, et vires eorum offendit. Itaque materia mutata mutationem dynameos provocavit. — Rationem rectam inter dispositionem ad morbos et potentiam nocentem a morbo adduci posse, jam ex eo elucet, quod dispositionem ad morbos augere et potentiae morbificae majorem in organismum vim attribuere valet (vid. §. 2). Si congestiones ad organum quoddam existunt, potentia nocens levioris gradus facile inflammationem provocare potest, dum, si congestiones non aderant, potentia morbifica fortasse sine omni effectu fuisset.

§. 9.

Res propinquiores, quibus excitantur morbi secundarii, sunt hae: 1) morbi malignitas, 2) decursus morbi, 3) secretiones criticae, rectum modum relinquentes, 4) productum morbi, 5) suppressio nimis celeris processus morbosi, 6) sympathia, 7) symptomata, quae morbum comitantur.

1) Quod ad morbi malignitatem pertinet,

multi morbi exsistunt, qui legibus medicinae tractati et omnino sublati, vitia quaedam relinquunt, quorum causa morbus quidem est, sed qua ratione morbus causam contineat, nos fugit. Morbi, systema nervorum infestantes, tales morbos maxime efficiunt, et saepissime quidem in sensuum organis. Hoc modo surditas, amaurosis, amentia, memoriae defectus, opportunitas ad spasmos febrem nervosam, aphonia anginam membranaceam et alii in systemate nervorum haesitantes morbi sequuntur. Num fortasse mutationes materiae aut productum morbi depositum aut dynamis plane alienata vitia illa provocent, in dubio adhuc positum est; nam anatomia, quamquam maxime exculta, certum de hac re argumentum non affert. Ceterum tales morbi secundarii non semper exoriuntur; morbus gravissimus illos saepe non provocat, dum alius minus periculosus eos adducit.

2. Morbi decursus, etiamsi non interrumpitur, saepius talis est, qui alium processum morbosum provocare possit. Plurimum hoc accidit in inflammationibus diversarum organismi partium. Si inflammatio rectum modum transgreditur, aut etiam eum non nanciscitur, varios exitus: suppurationem, indurationem, exsudationem, gangraenam, habere potest, ex quibus alios morbos exoriri posse

satis superque notum est. Praecipue si dyscrasiae in organismo adsunt, morbi decursus ita modificatur, ut morbi alii facillime provocentur. Inflammatio et hypertrophia e. c., dyscrasiis praesentibus, malam indolem acquirunt, et in carcinoma atque in alias degenerationes haud raro commutantur.

3. Maximi momenti atque a medico praecipue animadvertendum est illud temporis spatium processus morbosi, quod criseos stadium vocatur. Hoc nomine significatur illud morbi stadium, quo morbus judicatur, et vehementibus symptomatum exacerbationibus, quae perturbatio critica appellantur, bono aut malo cum exitu finitur. Perturbatio critica jam morbos alios provocare potest, quia processus morbosus in hoc ipso momento essentiam suam quam maxime conservare studet, dum organismus, ut impetum morbi avertat eumque omnino tollat, omnium partium vires colligit et vario modo functiones organorum mutat et auget. Sed saepius etiam morbi secundarii exoriuntur, si organismus jam in eo est, ut morbo superato secretiones criticae profluant. Prioribus temporibus materiae, his secretionibus ejectae, causa morbi, et morbus ipse pro irregulari inter vires vitales organismi et has materias effectu mutuo habebantur. Postea extra dubium positum est, se-

cretionibus criticis quaedam evacuari posse, quae quidem morbi causa fuerint et eum sustentaverint; aliam vero rationem quoque constare, quod scilicet materiae secretae non solum productores sed etiam productum morbi existimandae sint. Interea diversa haec secretionum criticarum explicatio nihil impedit, quominus perspicuum sit, secretionibus criticis provocari morbos; nam in utroque respectu illae ad producendos morbos secundarios nonnihil afferunt, nisi, ut rerum ratio postulat, ex organismo emittuntur. Si quidem materiae, secretionibus removendae, morbi causae sunt, relictae processum morbosum, ab iis jam provocatum, mutabunt atque alia quoque organa morbo afficient; si vero sunt productum morbi, non minus, in corpore remanentes, perniciosae sunt, quum processus organismo infestus conservandae ejus vitae utilia proferre nequeat.

Secretiones criticae, quamvis in universum faustissima sint phaenomena, nihilominus interdum morbos secundarios provocant. Ratio, qua exoriuntur morbi ex crisibus, diversa est. Secretio critica nempe aut nimia, aut imperfecta est, aut omnino non existit. In omnibus his casibus vel systema aut organum, quod secretioni criticae praestat, vel aliud sy-

stema vel organum, sympathia cum illa fruens, morbo afficietur. Si secretio critica nimis profusa est, primum in organum, quod secretioni servit, propter malam suam indolem efficiens irritationem, pessime reagere et organum ita alienare potest, ut functioni normali satisfacere nequeat; tum etiam vires organismi ita debilitari possunt, ut functiones omnium aliorum organorum laedantur. Si quis fortasse objiciat, quod talis secretio non sit critica, sed potius morbus, hoc lubenter concedo; nam ille denegare etiam non potest, morbum, qui hanc secretionem ad judicationem suam sibi elegerit, hujus novi processus morbosi causam esse.

Crisis imperfecta adducitur aut a suppressione secretionum criticarum aut ab inopia virium, quae ad judicationem morbi necessariae sunt. Materiae nocentes igitur non plane ex organismo emittuntur. Minime est mirandum, si hac ratione morbi alii existere possunt. Secretio critica est quasi conditio, qua expleta, processus morbosus tollitur, impedita vero, morbus remanet, qui novas metamorphoses morbosas inire coactus est; vel secretio suppressa uti suppressio secretionis sanae morbum in alio organo provocat. Rebus sic stantibus, diarrhoea suppressa, ente-

ritis, haemorrhagia narium impedita, pneumonia, sudore, intermittentem sequente, a cute depulso, hydrops haud raro exoritur.

Non minus morbi in aliis organis excitantur, si secretio critica omnino deest. Materia, secretione critica removenda, in aliis organis deponitur, structuram eorum mutat, functionem impedit et novum morbum in iis provocat. Sic scrophulosis tuberculosin saepe adducit, quia materia scrophulosa, non ejecta, in pulmonibus, hepate vel aliis organis ad tubercula conformata est.

4. Alia ratio, qua morbus morbum sequitur, est mutatio materiae. Nullus exsistit morbus, quin materiae mutationes provocet. Gradus mutationis admodum varius est, ut interdum materiam mutatam vix animadvertere possimus, dum in aliis casibus non dubitanda sit. Si vero materia organi mutata est, functio ejus normalis esse nequit, qua ex re alios morbos exoriri, certum est. Mutationes materiae sunt diversae: concretiones, depositiones, dilatationes, stenochoriae, ossificationes, aliae degenerationes. Pro variis degenerationibus, morbi, qui inde sequuntur, varii sunt. Non solum quia functione laesa unius organi etiam illa aliorum turbatur, et ratio dynamica in organismo alteratur, sed etiam mechanice nocent tales mutationes materiae, quum par-

ttim, in alias partes prementes, partim lumen canalium, fluida ducentium, minuentes, normalem fluidorum circuitum impediunt, atque congestiones, obstructiones, retentiones efficiunt.

5. Uberrimus fons morborum secundariorum est nimis celeris morbi alius suppressio. Morbi causa scilicet, simul ac in individuum, respondenti dispositione ad morbum praeditum, uti semen fructificans in ovum evolutioni aptum, influit, novum processum, morbum, qui crescere et perfectiorem se reddere cogitur, provocat. Excepto normali vitae processu, alius adhuc abnormis processus vitalis in organismo inest, qui varios vitae suae gradus percurrens, vel ipsum se devastat et in valetudinem transit, vel organismum directo aut indirecto modo interficit. Certum talem decursum omnis morbus, quippe processus vitalis habet, sed variis ex causis (vid. *Stark's path. Fragment. Weimar* 1824. *I. Band. Seite* 221 seqq.) tam clarus et accurate distinctus saepissime non apparet; in exanthematibus acutis optime observatur. Non minus, quam arbor caesa crescere non desinit, sed copiam ramorum novorum ex radicibus emittit, processus morbosus, subito suppressus, alios morbos provocat. Jam ingeniosus Plato (Platonis Opera ed. Bipont. 1785.

Volum. VIII. pag. 429. sqq.) hanc sententiam pronunciavit. Dicit ille: »ἃ (scilicet νο-„σήματα) ὅταν τις παρὰ τὴν εἱμαρμένην τοῦ χρόνου φθείρῃ „φαρμακείαις, ἅμα ἐκ μικρῶν μεγάλα καὶ πολλὰ ἐξ ὀλίγων „νοσήματα φιλεῖ γίγνεσθαι.“ Morbus, simul ac certam formam ac directionem sequitur, hanc usque ad finem suam obtinere studet, et impeditus in decursu suo, aliam directionem intrat, qua organismo magis nocet. Veteres medici, a fideli naturae observatione docti, certum morbi decursum cognoverunt, quemque morbum tria stadia percurrere docuerunt, et valde hortati sunt, ut morbi decursus non perturbetur, et ne hoc fiat, dies indices, criticos sive decretorios, intercalares et medicinales distinxerunt. Dissertationis spatium non permittit, ut veritatem sententiae, morbum secundum certas leges se evolvere et decurrere atque suppressum pessimos effectus habere, ex vera explicatione morbi, quippe processus vitalis, illustrem (Stark l. c. *Seite* 221. seqq.). Sufficiet, testem provocare experientiam, quae sat multa exempla nobis offert, ubi non solum morbi curatu difficillimi sed insanabiles etiam morbis suppressis exorti sunt. Quis medicorum degenerationes conjunctivae, obscurationes corneae, glaucoma, amaurosin, morbos, qui catarrhalem, scrophulosam vel

blennorrhoicam oculi affectionem, nimis celeriter suppressam, haud raro sequuntur; quis pertinacissimas urethrae stricturas, tumores testiculorum ex gonnorrhoea, incaute sanata, ortos summo cum jure non timet? Quis phthissin pulmonalem, epilepsiam et alios morbos gravissimos ex scabie, de cute ante tempus depulsa oriri, nescit? Nonne febres intermittentes, incaute et nimis celeriter febrifugis tractatae, physconias hepatis, lienis provocant? Quotidie animadvertere possumus, quantam utilitatem organismo afferat morbus localis, ita ut interdum arte tales morbos faciamus. Fonticulus, setaceum satis de hac re docent. Saepe natura ipsa morbum localem, uti sudores pedum et manuum, exanthema, ulcera instituit et quamdiu hi morbi perdurant, individuum ceterum bene se habet; sed quam graves morbi interdum exsistunt, si illi incaute sanantur, vel alia causa supprimuntur. Mala localia sunt quasi fontes, ex quibus materia morbifica defluit, quae in organismum repulsa mox hunc, mox illum morbum efficit.

Interdum accidit, ut longo temporis spatio jam praeterlapso perniciosi morborum suppressorum effectus tandem appareant; plerumque vero morbus depulsus alium morbum mox producit, ut, morbo primario evanescente, alius

jam incipit. Morbi secundarii, hoc modo exorti, per metastasin, metaschematismum, metaptosin, diadochen, diadexin, prout locus, forma aut causa proxima morbi mutatus sit, exorti dicuntur. Ceterum accurata et certa notionis illorum verborum explicatio deest. Mira et nondum satis evoluta est nonnullorum morborum proclivitas, levissimo influxu nocente in alios morbos transeundi. Sic parotitis saepe evanescit, et exoritur orchitis, quae iterum desinit atque encephalitidem provocat.

6. Omnes organismi partes arctissima inter se connexione conjunctae sunt et mutuam habent relationem, ut quaevis singulorum organorum affectio simul a ceteris organismi organis plus vel minus sentiatur; quod sympathiam ampliori vocis notione appellamus. Si igitur organum quoddam aegrotat, omnia cetera organa plus vel minus patiuntur. Sed accuratius considerantes organismi actiones, quasdam organismi partes non solum cum ceteris sympathia majori frui, sed etiam singula organa cum singulis strictiorem quam cum aliis habere ralationem, observare possumus; quod sympathia angustiori vocis notione vocatur. Quamquam haec sympathia organorum ad vitam conservandam maxime est necessaria, morbos tamen secundarios saepe ef-

ficit, et praecipue quidem sympathia significatu strictiori. Pro vario morbi gradu passio sympathica diversa est. Mox tantum levis perturbatio functionis oritur, quae, quum morbus primarius desinit, evanescit; mox vero passio sympathica ita se habet, ut finito etiam morbo primario, perduret. Morbi secundarii sympathia provocati, secernuntur in morbos per consensum et in eos per antagonismum exortos. Consensus enim et antagonismus ex eodem fonte, sympathia profluit (vide *Hufeland Pathog.* S. 272. seqq.). Organum per consensum aegrotare dicimus, si morbus primarius morbum sibi similem provocaverit, ut e. g. pancreatitis, lienitis efficit hepatitidem. Morbum per antagonismum exortum esse contendimus, si affectio secundaria primariae plus vel minus contraria est; ut, e. g. hypertrophia uteri affert atrophiam ovariorum (vid. *Berndt allgem. Gnunds. der pract. Medic. Berlin* 1825. *I. Theil.* S. 271 seqq.).

7. Tandem etiam morbi ex aliis oriri possunt, quum symptomata adsunt, quae organismi integritatem infestant. Hoc modo tussis, vomitus herniam provocare, spasmi congestiones ad alias organismi partes, inflammationes, haemorrhagias efficere possunt.

LITTERATURA.

C. Gianella de successione morborum, abgedr. in Schlegels thesaur. path. therap. Vol. I. p. 111.

Adolph Henke über die Lehre von den Krisen und Metastasen. Berlin 1805.

J. E. Hebenstreit de metaschematismo morborum. Lipsiae 1747. 4.

F. Hoffmann de metastasi s. sede morbi mutata.

J. D. Brandis Versuch über Metast. Hannover 1798.

A. C. Lorry de praecipuorum morborum mutationibus et conversionibus. Deutsche Uebers. Leipzig 1785.

J. Chr. Reil von den Versetzungen der Krankheitsmaterien; im Journal d. Erf., Theor. u. Widrsp. St. VII.

Ant. de Haen de crisibus morbor. in ejusdem ratione. med. part. VIII, cap. II.

Hufeland Ideen über Pathogenie. Jena 1795.

VITA.

Ego *C. Ferdinandus Scheele*, fidei catholicae addictus, Arnsbergae natus sum anno MDCCCXI die XXIV. m. Martii parentibus *Christophoro Scheele* et *Eva* e gente *Boenner*. Primis litterarum elementis eruditus, Gymnasium, quod domi floret, per sex annos et dimidium frequentavi. Gymnasio absoluto et testimonio maturitatis

ccepto anno MDCCCXXXI Marburgum Cattorum me ontuli, ubi ab Ill. *Hessel* t. t. prorectore magnifico in vium academicorum numerum relatum me docuit logi- en Ill. *Kreutzer*, hodegeticen, Ill. *Sengler*, osteologiam, yndesmologiam, anatomiam generalem et specialem Ill. *Buenger*, chemiam, chemiam pharmaceuticam et educatio- em hominis naturalem Ill. *Wurzer*, physiologiam et oologiam Ill. *Herold*, materiam medicam Cel. *Roberth*, otanicen Ill. *Wenderoth*.

Anno MDCCCXXXII ad universitatem Wirceburgensem profectus sum et ab Ill. *Schoen* t. t. rectore magnifico receptus, per annum has frequentavi praelectiones: Pathologiam et Therapiam generalem apud Ill. *Narr*, chirurgiam, theoriam de arte operationes in cadaveribus rite instituendi et fascias rite adligandi atque herniologiam apud Ill. *Jaeger*, pathologiam et therapiam apud Ill. *Marcus*, botanicen medicinalem apud Ill. *Heller*. Artem obstetriciam et exercitationes obstetricias practicas in phantomate docuit me Ill. *d'Outrepont*. In arte cadavera secandi dux mihi fuit Ill. *Muenz*. Per annum Wirceburgi versatus, ad almam Musarum sedem Berolinensem me contuli atque rectore magnifico Ill. *Strauſs* civibus hujus universitatis litterariae et decano spectatissimo Ill. *Busch* medicinae studiosorum ordini adscriptus, duce Ill. *Bartels* et Cel. *Wolff* clinicum medicum, Ill. *Rust* clinicum chirurgicum, Cel. *Truestedt* policlinicum medicum et chirurgicum, Ill. *Busch* clinicum obstetricium frequentavi. Medicinam forensem mihi tradidit Ill. *Wagner*. Quibus viris omnibus, summe de me meritis, maximas habeo semperque habebo gratias.

THESES.

1.

Morbus potentissima morborum causa.

2.

Etiam sani contagium evolvere possunt.

3.

Hydrops tantum symptoma morbi.

4.

Post exstirpationem scirrhi et carcinomatis reunio per primam intentionem praeferenda.

5.

Theoria antliae sugentis ad sanguinis circulationem non referenda.

6.

Anatomia fundamentum totius medicinae.

XXV
C